



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

VIII. Quod non sunt tolerandi pro aliquo quaestu publice delinquentes, & quod potestate absoluendi in casibus reseruatis sacerdotes abuti non debent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1420.

VIII.

*Quod non sunt tolerandi pro aliquo quæstu publice delinquentes,
& quod potestate absoluendi in casibus referuatis
sacerdotes abuti non debent.*

Districte quoque prohibemus, ne quis sacerdotum adulteros, concubenarios, seu fornicarios, aut alios quofcumque publice delinquentes, gratia vel fauore, aut pro aliquo temporali emittat. Nec obtentam a superiori in casibus referuatis ad certum personarum numerum licentiam, eam venalem exponant, non nisi ad soluendum aliquid ex pacto, eadem licentia vtendo; sed gratis & libere, prout expediens fuerit, ad omnes, sine personarum acceptione, huiusmodi sibi concessa vtantur potestate.

IX.

Quod pro sepeliendis præuentis nil est extorquendum.

Pro sepultura quoque præuentorum presbyteri nil extorquere præsumant.

X.

*Qualiter adulteri & concubinarij publici sint admonendi,
& ab ingressu ecclesiæ excludendi.*

Ad extirpandum quoque adulterij & concubinatus publica crimina, quæ in diocesi Saltzburgensi plurimum sunt frequentata, hunc volumus & præcipimus ordinem per singulas Saltzburgensis diocesis parochias obseruari, videlicet, vt infra duorum mensium spatium in qualibet ecclesia parochiali aliquo die Dominico vel festiuo, quando maior adfuerit populi multitudo, publice in ambone admoneantur & requirantur in generali omnes & singuli vtriusque sexus homines præfatis criminibus publice implicati, quatenus ab huiusmodi adulterio & concubinato penitus & omnino desistant. Si qui vero generali sprete admonitione se non correxerint, sequenti Dominica in specie & nominatim, vt se emendent, sic illi, quorum domus inhabitant, quatenus eos vltra non hospitent, admoneantur & requirantur. Quod si nec taliter moniti se correxerint, sequenti Dominica eosdem, ac illos qui eos hospitare præsumpserint,